



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 7. Potentia Reip. Genuensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

§. 7. *Potentia Reip. Genuensis.*

OLIM potentissima fuit, potita aliquot insulis, & diu Tauricâ Chersoneso, Venetâ superior, Pisanæ æmula, & sæpe victrix. In præsentia annui reditus percipit quingenta millia aureorum; olim instruebat octo triremes, nunc tantum sex, quæ vtramque oram Orientalem, & Occidentalem tueantur; si res exigeret centum armaret: olim educere potuit 60. peditum millia, equitum decem millia, nunc etiam alit 28740. indigenarum, 500. Heluetios Friburgenses, 300. Italos, & centum Corsos. Habet & 600. tormenta bellica variis in locis. Vno verbo multa posset, si Genuenses Reip. suæ, quàm priuatis commodis addictiores essent.

§. 8. *De variis Principibus in Remp. Genuensem sibi ius arrogantibus.*

EORVM aliqui partes sibi tantum vendicant, alij vniuersam.

PARTEM eius suam esse ait 1<sup>o</sup>. *Dux Sabaudie*, qui suam esse ait Saouanam, quam ait vnum esse ex 7. Marchionatibus à Cæsare Othone Alteramo Saxoni concessis, ex quo se oriundum putat; idem etiam sibi ius arrogat *Dux Saxonie*. 2<sup>o</sup>. *Dux Hetruriæ* suam esse putat Sarzanam in agro Tusco, itémque Corsicam Insulam, quam ait esse Pisanorum quorum Remp. occupauit.

TOTAM dicunt esse suam Reges duo, Galliæ, atque Hispaniæ. *Galliæ* quidem *Rex*, inquit Thuanus lib. 12. quia hæc Resp. sese dedit Carolo V I. cui & commissæ sunt arces decem Reipublicæ; quo iure postea vsus Lud. XII. eam bis recuperauit, & Principes Mediolanenses qui eam occupauere, Francos Reges primarios dominos agnouere. vt ostendit Philippus Cominæus. Certè Ludouici XII. nomine Philippus Cliensis 8. annis huic præfuit, quando & rebellauere Genuenses, & domiti arcem quasi frænum acceperere. Sub Francisco I. Octavianus Fulgosius Regis nomine Reip. præfuit, & eo ad Ticinum victo atque capto Gallicum ius & nomen eiurauit.

*Hispaniæ Reges* suam esse dicunt, quia Duces Mediolanenses hanc quondam vsurparunt, Aurelianensi & Burgundicâ factionibus Galliam lacerantibus. Et verò Carolus V. Imperator impetrare